





96.423

195

1928 K 944

831

18

DE  
J U D I C E  
IN ALMA LEUCOREA  
P R Ä S I D E  
M. ADAMO EZLERO

S I L E S I O ,

*Ex politicis disputabit publicè*

GOTTFRIDUS ERICUS BERLICHIIUS,

Lipsiensis,

*Ad d. XIII. Julii A. M.D.C.L.*

Ante meridiem in Auditorio Phi-  
losophorum.

*et Typographia*  
JOBI VVILHELMI FINCELII.

1650

W. H. Henkens

188 832

INDI-C-E  
A 20 D 1941  
OBEN

REV. 833

I. N. 3.

**N**on ignobile JUDICIS nomen est in iis, qui curas suas conferunt in publicum, atq; ut communis felicitas ab Imperantium folio commodè derivetur in parentium casas, pro vi-ribus annuituntur. A dicundo autem jure seu judicando obtinuerunt appellationem, qvod per hos suum reddendum cuivis est. Propterea & *Justitia Sacerdotes* vocantur, qvod huic dicatum omne eorum studium est, nec *Judicis* meretur nomen, ex Etymologiarum Magistri sententia, in qvo non est *Justitia*.

JUDEX.

Isidor. l. 18.

orig. c. 15.

II. Fuisse verò jam olim, esse hodiè, & futuros perpetuò in Rebuspubl. hos Jurium dispensatores, in aprico est adeò, ut prolixā non indigeat expositione. Scilicet frustra videtur Legum sanctio omnis, nisi sit, qui examinet dicta & facta Ci-vitatis, intermineturq; peccatas & sanctorum earum vel migran-tibus vel susq; decūs habentibus.

E s.t.

III. Atq; Ebiorum si ingredi luber Tribunal, non septua-ginta tantum sene illos spectabimus, sed & chiliarchos, Centuri-ones, Qvinqvagenarios, Decuriones, alios rebus levioribus co-gnoscendis destinatos. Nemo nisi infans in his literis sit, Grecorum ignorat *Ephorus*, *Areopagitas*; Epber-tas item singulari probitatis opinione commendatos. Apud Turcas judicat de caussis summus eorum Sacerdos *Calde-lecher*, quem ferè ætate gravem, & juris, pro captu barbaria, gnarum habent. à qvo ad *Mophi* appellatio conceditur, qui etiam in dubiis *Caddy* sententiam exquirit. E Romanâ histo-ria noti sunt *Praetores*, curulis sellæ infessiores, qui dicundi ju-ris caussâ facti sunt, qvod Consules avocarentur sèpius, ne jus dicere poscentibus possent. Qyanquam & in bella missi de-incepis sint, ususq; obtinuerit, ut non minus Praetores quam Consules Provincias fortinentur: in quibus post Praetorem qvoq; jus dixit *Legatus*. Accensendi, si opus, erunt his Cen-

Althus. polit. XXIX. 59.

Ad. à Con-zen. Pol. L VII. c. 23.

tumviri, Decemviri, Qving, viri, Triumviri, Duumviri, qvorum  
alii de stlitibus, alii de maleficiis & abjecta conditionis  
hominibus, de perduellione, exilio, aliisq; de rebus alii habe-  
bant judicandi potestatem. Nostro aeo Camera Auguste Judi-  
ces nobilitate partim, partim eruditioe & honoribus Academ-  
icis insignes: Curiarum item Regiarum, Eleetoratum & Prin-  
cipialium Aesseffores sat confirmatam dant sententiam nostram.

## PERSONA,

IV. Qvare etiam proprius accedimus ad ea, qvæ instituti  
hujus sunt, tribuimusq; Judicis munus illi, qui capax est pu-  
blica functionis, potestq; vicarias locare operas Majestati, à  
qvâ hunc in finem deligitur.

V. Perplura sunt autem, qvæ Politici exigunt hic; provi-  
dentes sedulò, ut per hunc canalem derivetur rectè in singulos  
salus omnium. *Virum* volunt, non fœminam mobilem, cuius  
nec emolliatur lacrimis Severitas, nec frangatur preferendo-  
rum mole constantia. Nec enim immunis Sparta erit  
à litigantium contumeliis, importunis querelis, postulationi-  
bus parum aquis, laboribusq; infinitis, contra qvós obfirmam-  
dum pectus diligenter est. Qui verò hoc sperare licebit à fœ-  
mineo animo? Dicitur affectibus, indulget vitiis, fluctuat, &  
ex sede suâ dejicitur facile, uti magno studio comitacaries ven-  
to turbatur exiguo. Rara sunt exempla *Livie*, *Pulcheriae Isabellæ*

Francisc. Pe-  
trarch.  
Matth. Ber-  
negg. qvæst.  
missell. in G.  
Tac. Germ.  
& Agric. q.  
44.  
Thuan. I. r.  
Ann. XIII. 45.  
Alexand. ab  
Alexandro  
Gen. dier. I.  
IV. c. 6.  
Nazar. Panc-  
gyr. Con-  
stant. c. 16.

naturam suam supergressarum, ac qvæ facilè superari pos-  
sunt carum numero, qvæ vindicta cum *Aloysia Sabaudia* appre-  
tentiores sunt, qvæm prudentiores: *qvibusq; cuncta alia sunt*  
*præter animum*, (*honestum* qvidem non dicam, qvod de *Sabinæ*  
ait *Tacitus*, sed) *virilem*.

VI. Altera etatis est cura. Qvæ in eo qui de nutricis ge-  
nibus nudius tertius profiliit, prætextamq; nondum deposituit,  
Prudentia? Qvæ in Sene decrepito alacritas sit ac vigor?  
Definita qvidem apud veteres fuit legibus etas, cui aspirare  
liceret ad certos publicæ dignitatis gradus, & per Legem Juli-  
am non poterat esse judec, qui minor annis viginti erat: Ve-  
rū cum nec tum temporis morosius computati sicut anni, ubi  
ætatem prævortebat Ingenii maturitas, causâ non est, qvare  
hodiè in feßimatione *Virtutis expectemus etatis cursum*. Potius  
iniquum

835  
iniq*vum existimamus*, cum honori nondum tempestivum videri,  
qui jam Virtuti maturus est.

Val. Max. III,  
1, 1.

VII. Plus momenti positum erit in iis, quae intus nobilitant atque illustrant dotes. Si assit Ingenii acumen, quod & præceptionibus salubribus, Juris in primis publici ac privati notitia imbutum sit ac firmatum experientia, est omnino, unde optima quæcumque pollicamur nobis. Miserè sapiunt, qui alicno pectore sapiunt; nec dognoscent recte lites, qui harum momenta non intelligunt ipsi. Aristonem velim aliquem, quo nihil gravius, sanctius doctius, qui acri magnoque judicio ab origine generationes cauillarum queat repetere, discernere, expende-re. Non n. immunis ab errore omni est, qui cogitur facere quædam ante, quam norit: Ineptus a proflus ad hanc prævinciam, qui recte rationis usu caret.

Plin. I. I. ep.  
22. & VIII. ep.

14

VIII. Ceterum in quos propendeat mores animus, dispendendum omnino est, cum exuere naturam existimandus non sit, cui alimenta subjicit data ad votum occasio. Spectata Judicis diligendi probitas esse debet, ne si abruptus cupiditate, securus utatur permisso sibi potestate, ipsaque Civitatis fundamenta subvertat. Veterum ea cautio fuit, ortaque inde opinio, non reperiri posse Judicem, qui non & Vir bonus sit, ut Judicis etiam nomine uterentur, cum Viri boni notas enumerando vellet percensere. Siquidem & suspicio omnis sceleris absesse, debebat a moribus Judicis, nec poterat agere Judicem, qui motus a senatu & notatus crimine erat, licet ei ad alios honores, ipsorumque Censorum dignitatem pateret aditus, cum emendasset vitam, & ad meliorem frugem se recepisset.

Muret. Orat.  
XVIII. vol. I.

IX. Decoram faciem & corporis proceritatem, ut Veneracionis plurimum acquirere concedimus: ita anxie fortuita, ista & inania, veluti vocantur quibusdam, non quærenda hic loci statuimus. Monstro tamen horrendo propterea non aperrimus osium, sed vetitum ei dicimus tribunal æquè ac muto & Surdo, de quibus & nunc dicendum est aliquid. Nimirum non postrema pars muneris judicarii est audire & cognoscere litigantium causas, interrogare multa, ac plena inquisitione rerum ordinem discutere. quæ omnia cum ab ipsis hominibus fieri haut queant, mirum non est, quod ad hoc fastigium diffici-

Plin. I. I. ep. 6.

ciliis illis est aditus, vel etiam nullus. Cæcis benigniores videntur & leges & nonnullorum rationes. Qvibus & in subsidium venit *Areopagitarum* exemplum, qui rectius judicabant sibi noctem & in tenebris, qvos transversos egerat ante plenior oculorum usus. Nolumus igitur & nos eos exclusos prorsus; Commodius tamen posse res expediri ab eo, qui intueri potest & vultum habitumq; disceptantium, & ceterarum, de qvibus lis est & controversia, rerum faciem, asseverare minimè vereamur.

X. Anteqvam discedamus hinc, de pauperibus & nostram ferimus sententiam. Suspicione non caruerunt hi apud veteres jam tum. Metus erat, nè tām rationem muneris sui, qvām magnitudinem munerum alienorum considerarent: nevē libentius in munerum, qvām in argumentorum, qvā utrinq; afferrentur, ponderibus expendendis occuparentur: & utrius gravior esset manus, ejus causam qvoq; meliorem videri prouinciarent. Qvā causa est, qvod nec consultum putetur hodiē, eos promiscue judicandi muneri præficere.

PUBLICA. XI. In publico nunc volumus conspicuum nostrum JUDICEM. Nec enim cum iis nobis res est, qui in privatis versantur judiciis, aut ab utrāq; controversantium parte deliguntur Arbitri. Commune hoc habent eqvidem cum Nostro, qvod finē & ipsi possunt imponere controversiis: dispari tamen autoritate, nec ea certitudine, qvam de JUDICE pollicetur jurisjurandi religio, maximum & sanctissimum, qvo obstrictus est, fidei vinculum. Qvare Cordubensis Philosophus recte: Melior videtur conditio causæ bona, si ad Judicem, qvām si ad arbitrum, mittitur: quia illum formula includit, & certos, qvos non excedat, terminos ponit: hujus libera & nullis astricta vinculis religio & detrahere aliquid potest, & adjicere, & sententiam suam, non prout Lex vel justitia se adet, sed prout humanitas, aut misericordia impulit, regere.

1.3. de benef. c. 7. XII. Interest autem Reipubl. omnino, esse publicos hos Justitiæ Præsides, ut dediscant agere propudosam vitam maleficiati homunciones, ceteriq; prohibeantur, nè tentent paria, cum intelligunt se revocatum iri mox ad subsellia, ubi ratio

tio danda commissorum vel omissorum. Observat in Karthaginenibus circumspetionem hanc *Justinus*, qvando ait, dele- I. XIX, 2, 6.  
*Etos fuisse centum ex numero senatorum JUDICES, qui reversis  
 à bello ducibus, rationem rerum gestarum exigerent, ut hoc metu  
 ita in bello imperia cogitarent, ut domi Judicia legesq; resifice-  
 rent. Qyin & Judices ipsi tractant se sanctius in rerum dijudi-  
 catione, dum in luce publica, atq; inspectantibus omnibus, ex-  
 qui se officii sui partes, subindè recordantur.*

XIII. Proprium verò locum *Judicis* assignamus inter offi- HABENS PO-  
 ciales, seu ministros Majestatis, à qvā in curarum partem affu- TESTATE M.  
 muntur. Huic itaq; debent potestatem, qvam habent,  
 non absolutam sed legibus definitam. Hujus modi apud Sco-  
 tos Lex est: IN. PROFANIS. REBUS. NEMO. JUS. DICI-  
 TO. NISI. QVEM. JURI. DICUNDO. MAJESTAS. RE-  
 GIA. PRÆFECERIT. SOLIUS. REGIS. NOMINE. JUS. O-  
 MNE. REDDITOR. CONVENTUS. JUDICANTOR. CON-  
 CILIA. CONVOCANTOR. NE. QVIS. ALIA. QVAM. RE-  
 GIA. AUTORITATE. JUDICIA. OBTINETOR. At de- Dempster.  
 Principi qvid fieri, aut eo, cui summa rerum concredita est? Rosin. Antiq.  
 Anne propterea ad Eos haut spectat Justitia administratio? Rom. I.IX.  
 Sed spectat utiq; debetq; contendere enixè Princeps ut iuste Paralip. p.  
 administret Imperium, plectendo pro meritis improbos, bonos pro- CL. Buchner  
 bosq; conservando. Nam indulgeré omnibus omnia, non boni ac orat. de prin-  
 clementis est, sed signari ac segnisi. Itaq; Sanctitatem legum assertet,  
 non modò in aliis, sed in se ipso quoq;. Non quod alligatus iis sit, sed  
 ut exemplo sit, posse fieri, qvæ præcepit. 1503.  
 cipatu Galbae

XIV. Verum ne hæc per alios quoq; fieri posse objiciat qvis, producimus exépla Regum Princepum ve judicandi munere nō negligenter defunctorum. Non ponam autem in hunc numerum Inferorum *Minoem*, & in proverbium cum securi suā di- gressum *Tenedium* Judicem, aliasq; qui fictionis rei possent ar- C. Sveton. in  
 guiri: Satis firmata dabit sententiam hanc *Julius Cæsar*, qvi Jul. c. 43.  
*Laboriosissimè ac severissimè jus dixit, interpellatus aliquando si- Val. Max. I.  
 milii in negotio à *Serviū Galba* temeritate. Et felicissimus Cæ- VI. c. tit. II.  
 farei parricidii Vindex & assertor Imperii singularis, *Augustus*, Svet. August.  
*Jus dixit assiduè & in noctem non nunquam, si parum corpore va- C. 33.  
 leret,**

teret, lectica pro tribunal collocata vel etiam domi cubans. Nec  
in urbe modò sed & rurì. Ex secessibus pricipue frēquentavit  
maritima, Insulasq; Campania, aut proxima urbi oppida.  
Lanuvium, Praeneste, Tibur, ubi etiam importicibus Herculis tem-  
pli Iulius perspè dixit. Mithridatem hodiernosq; gloriofissimos  
Reges brevitas studio taciti præterimus.

Id. c. 71.

Curt. VI, 936.

Annal. I.

Sveton. Ve-  
spaf. IX. 1.Scipio Am-  
mirat. dis-  
serit. Polit. I.  
I. disc. 8. & I.  
20. c. 7.Tac. Hist. I.  
c. 6. & 7.Jun. qvæst.  
pol. 80.

XV. Id tamen nullatenus negligendum videtur hic loci,  
non temerè subeunda esse Principi Judicia. Jis interesse lice-  
bit causis præcipue, ubi clementia est locus. A reliquis absti-  
nendum potius (qvod & Ægyptiorum Regibus datum erat  
olim consilium) ne civium delectari cruro videatur Princeps,  
& in odium mutet suorum benevolentiam, tutissimum Prin-  
cipatus præsidium ac fulcrum. Non dubitarem asserere Pruden-  
tia hujus specimen datum ab Alexandro fuisse qvod ferali in-  
Philotam sententia noluit inter esse, sed excessit concione, ut a-  
molioretur odium exercitus, si quid gravius designatum fuisset  
se præsente in Ducem, militibus non usq; adeo exsum.

Germanici certè Prudentiam hanc in rem obseruavit Tacitus,  
quem condemnare noluisse milites seditiosos, sed exercitu ju-  
dicandos dedisse dissertè asserit. Et ut suspicionem etiam cru-  
delitatis amoveret à se longè Titus, ac puras servaret manus,  
Pontificatum maximum ideò se professus est accipere, teste  
Svetonio.

XVI. Inter Imperii initia autem hoc præcipue attenden-  
dū erit. Nilcrebrius commēdatum commendandumq; est no-  
vum regnum inchoantibus qvām clementia fama. Populus  
molliter ante habitus, non ad duriora vertitur feliciter, cum  
nec bonis initii tutò credatur, Virtusq; etiam solida nova ta-  
men & insignibus experimentis nondum supra invidiam &  
obtrectationes enīa difficulter admodū illiciat Ingenia & sui  
amore imbutat. Tulerunt erroris hujus poēnas cum Galba alii  
qvoq; Imperatores. Et Pertinaci exilio fuit vel unicum ver-  
bum MILITEMUS.

XVII. Moram faceſſunt hīc nobis illi, qvi è Christianorum  
confino sublatum volunt judicandi munus. Nescio enim  
qvo moti religionis Zelo, Pietati affingunt adversas has partes,  
qvas

831

qvas & subire D eūs nōster gloriōsus, & injungere insuper  
voluit sanctis hominibus. Non est igitur, qvod falsis scriptu-  
rarum interpretamentis inducamur cō, ut deseramus aut exse-  
cremur id, qvod & licitum perse fatis est, & ad Imperiorum  
arānqwillitatem facit qvā maximē.

XVIII. Satius erit, explicare uberius muneris hujus nu- C O G N O .  
meros omnes, atq; ita absolvere tandem has operas. Palma- SCENDI.  
ris autem Judicis cura erit, ut cognoscat rem, super qvā mota  
lis est; altera ut certam de cā proferat sententiam. Hi carce- FERENDIQ.  
res intra qvos decurrentum Judici, hāc meta, ubi subsisten- SENTENTI-  
AM.

XIX. Decenter tamen omnia, & prout fas est & æqvum. LEGITIME.  
Audiēda utraq; pars; occlusaq; sit & servetur integra reo auris, Plutarch. A-  
dum accusatori patet altera, qvod in Macedonum Rege com- lex.  
mendant historiæ. Objecta criminata non pro approbatis accipienda Plin. ep. 14.  
statim. Inauditi siqvidem atq; inde sensi qvāq; innocentes l. II.  
percunt. Hinc apud Tragicum Medea in cæteris haut bona, Tac. Ann. III.  
benē canit qvi statuit aliquid parte inaudita altera, æqvum licet 12.  
statuerit, haut æquus fuit. Atq; patientiā opus qvidem erit Med. v. 200.  
maximē. Distringitur sæpe Judex exilibus causis, & qvæ exer-  
cent magis qvām delectant. Surgunt audace non raro caus-  
fidici, & stentoreā voce sunt molesti: Qvibus nisi faventē prebe  
as aurē, audies cōfestim, qvod Philippo objiciebatur, ab aniculâ  
cui audiendæ sibi esse otium negaverat; ne regnes igitur, si au-  
diendis ac dijudicandis causis vacare nolis. Taxat hanc Judi-  
cū negligientiam Plinius notabiliter in iis, qvi suo tépore finire  
maluerint qvām judicare.; Suoq; exemplo inculcat id, qvod  
hujus loci præceptum est, qvando scribit: Eqvidem qvoties  
judico, qvod vel sepius facio, qvām dico, quantum quis plurimum l. VI. ep. 2.  
postular aq;e do. etenim temerarium existimo, divinare qvām spa-  
ciofa sit causa inaudita, tempusq; negotio finire, cuius modum igno-  
res: præfertim cum primum religionis sua Judex patientiam debeat,  
q;e pars magna Justitia est. Et Cicero cū Quintio Fratri præce-  
pta dat administranda provincia, adjungendam facilitatem in-  
audiendo, in satis faciendo, ac disputando diligentiam, monet.

XX. Non præcipitanda etiam judicia sunt, qvibus nihil

B

inimi-



840

inimicum magis , ac festinatio nimia. Qvod si enim in universum nihil patrare debet Vir prudeus , cuius pœnitentia tandem : multo minus Justitiæ Sacerdotes properanter agere decet , unde in errores lapsus est facilis. Nec paucos reperimus , etiam ex sanctissimo Regum numero , hujus moniti perquam memorares. Recensere singulos instituti nostri non est , cum & legerem exempla horum liceat , apud Doctores Politicos passim. . Omnia loco *Spartanorum* commendanda gravitas est , quam nec historicus prætereundam sibi duxit. Triditerat *Ephoribus* epistolam *Pausaniam Argilius* , ex qua intelligi facile poterant , quæ in Patriæ exitium meditabatur perfidus Dux ; sed , ne hujus quidem indicio impulsus sint , ut *Pausaniam* comprehenderent , neq; prius vim adhibendam putaverunt , quam se ipse indicasset. Tum vero , ubi callido suo consilio eo pertraxissent *Pausaniam* , ut fateretur ipse delictum , ejusq; ab *Argilio* depositeret veniam , satius duxerunt prehendere proditorem , ne publicæ salutis viderentur negligenter.

XI. Affine huic est decrepiditate nimia monitum. Non hodiè demum nata , sed longa jam seculorum observatione roboratan onnitorum consuetudo est , struere crimina in viros etiam bonos , vel structa adornare , ac per speciem legitimæ accusationis pravo nocendi proposito & spe præmii in iudicio invidiosè magis quam vere & pro merito causa exagitar . ; quibus si aurem non tantum facilem sed & mentis assensum commodet judex , admittet in se crimen , qvod à sanctitate

Tacit. I. A. m. te ejus longè debebat remotum esse. Incusatus ita olim *Marcellus* est ab Hispone , qui occulis libellis servitæ *Principis* adrepere , & clarissimo cuiq; periculum faceisse , gloria ducebat. Pra-

Curt. X, 1, 38. mium fuit idem *Orsines* , nobilissimi Persarum , nec insontis modi , sed eximie qvq; benignitas in Regem. Subornari nempe qui falsis criminibus occupabant credulas Regis aures , concitabant animum ejus in inam ; Qvod quidem difficile non erat apud eum , qui secundis rebus commutatus erat adeò , ut precepit esset ad representanda supplicia ; idem ad deteriora credenda , qui tamen paulo ante Lyncestem *Alexandrum* delatum à duobus indicibus damnare non sustinuerat. Mon melius autore inventum *Sulla* fuit , ac

ac à Vellejo recte inter crudelitatis ejus notas relatum, qvo Jut-  
dicibus permisum, ut praeberent aures histrioni, & cives qua-  
lescumq; castigarent, qvos constaret histrionem aliquem per-  
lantiore notasse convitio. Proximum autem malignitati fo-  
ret, si JUDEX ipse subornet, aut designet accusatores in eos, qvos  
sublatos è medio velit. Fuisse enim hoc ex instrumentis Ty-  
rannorum non postremum, argumento præter cætera esse po-  
test tristissimus *Julii Græcini senatorii ordinis, studio eloquentiae* Agr. c. IV.  
*Sapientieq; noti viri casus, qui Marcum Sillanum accusare jussus,*  
*& quia abuerat, interfectus est.*

XXII. Affectus præterea cum non sinant ex vero res pensi-  
tare, à tribunali jubemus exesse. Turcarum hic mos est, lau-  
dandus parum, qvod arbitrio suo omnia affectu*j*udicant. Sed  
si inter nos cōcedenda hæc erunt qvoq; , qui Iustitiae suus con-  
stitutus vigor? Frustra est, qui idem judicium expectat ab eo  
qui amore flagrat rei, atq; eo, qui temnit eandem & aversa-  
tur. Subjiciendum hinc omnibus Judicibus crebrò est illud  
Ratisbonensium: *Quisquis Senator curiam officii causâ ingre-  
deris, ante hoc ofiium privatos affectus omnes abjecito; inam, vim,  
odium, amicitiam, adulacionem.* Reip. personam & curam  
subjicito. Nam ut alius aequus aut iniquus fueris; ita qvoq; D E I  
judicium expectabis.

Nec absimilis est vetus juris jurandi Senatorum Roma-  
norum formula: *Juro per Jovem Olympiū, & Consiliarium,  
& per Vestam consularicem, & per Jovem maritalem & Minervam  
prodigam, & Victoriam & Veneram & Amicitiam & Concordiam,  
& Jus atq; fas, & bonam fortunam, aliosq; universos D E O S &  
Deas, mesenteriam velledicare secundum leges & consulta à civi-  
tate approbata & secundum decreta Romanorum & Leges, qvibus  
nostra Ress. administratur, in respectu utilitatis Patrie pro viribus  
meis, non aliter quam is fecit, qui senator fuit laudatissimus Pa-  
triae vel Romane vel gracie civitatis, neq; gratia nego, odio nego, mu-  
neribus patiar servire judicium consultumce meum: neq; privato  
adicam sententiam meam, neq; me ulli parti aut homini adjun-  
gam, sed tantum communi utilitati, aucturua pro viribus Rem-  
publ. Ita ut Dij & boni Viri voluunt, mibi quidem sanctè junato  
B 2 benè*

Conzen. 1. 7.  
Pol. c. 23.

benè sit, & Dii atq; Demones favcant, itemq; meis omnibus cum amicis, tūm universo generi & familie, in perjurio verò ne deprehendar unquam.

Diod. l. l.  
Plutarch.

XXIII. Amuneribus abstinere manum etiam per Leges iubentur Judices, sed diversum suadet multis auri sacra famis, qvorum ad aedes ponendæ statuae & imagines Justitiae sine manibus, qvales *Thebanorum* fuisse historicā scimus fide, ut mo- neantur cottidiè ab accipientib; muneribus alienos esse oportere.

XXIV. Cum laude proin obibunt partes suas Judices, qui obseruatissimi sunt, qvæ dicta sunt, ad Legum præscripta examinant causas, sententiamq; pronunciant. Hæc Judici data amussis est, ad cuius ductum formanda ei omnia, nisi egredi ac transilire limites & parum obseqventem se præstare velit. Arbitrio tamen atq; æquitati locus erit, si pugnat cum honestate recta q; ratione Lex, aut non omni ex parte est manifesta.

XXV. De actis & probatis non levis movetur difficultas, qvibus insistere debere Judicem volunt pleriq; Et potest etiam id optimo jure, si diligenter omnia examinata sint. Verum ut conscientiæ inurat stigma, ubi fraudis aliquid subesse apparet, asserendum id vix arbitramur. Inferior si est Judex ad superius tribunal remittere potest causam commodè, adeoq; Hornej. Phil. superioris Judicis estimationi relinqvere, qvam suo juvare posse. Mor. l. 4. c. 4. testi testimonio. Cætera in conflictu data occasione discutiendi prud. Ju- dicariâ.

Polyen. l. 4.  
Stratag.

Demster. Ro-  
fin l. IX.  
Paralip. p.  
1504.

XXVI. De satisfactione, litis contestatione, aliisq; ad legatum Judicium requisitis agere nobis non sumimus, sed ad forum aliud rejicimus. De *Loco ac Tempore* placet addere pauca anteqvam finiamus. Ac ille qvidem non splendidus adeo semper esse debet, qvalis *Alexandro* fuit, ut species etiam illa verenda metum barbaris incuteret: honestus tamen, & in quo salvâ imperii maiestate dicere jus licet. Propterea & Leges nolunt litigantes vocari à Judice in lupanar, aliaq; inhonestâ loca, qvò citati etiam si non compareant, à contumacia pœna sunt immunes. Nempe à loci sanctimoniali aliquid venerationis conciliare voluerunt Judiciis Veteres, qui in *Basilicis*, *Tempis*, parti-

*porticibus & præterea subdialibus locis, unde liberimus esset  
cœli præspectus, ea exercuerunt. Constantinopolis olim fiebant ad Conzen. l. 7.  
puteum sacrum Templi S. Sophiæ, ubi velum tendebatur. Pol. c. 22.*

*Tempus non omne poterat Judiciorum usibus destinari. Erant  
nempè nefasti dies, qvibus non licebat Prætori fari solenne.  
illud: Do. Dico. Addico. Hodie liberum erit Judici, quo in-  
terqviescere lites aut suscipi velit, tempore, modò cultui divino  
sacra Lux non insumatur his negotiis peragendis.*

XCVII. Restat, ut de causis ad Judicem nostrum spectan-  
tibus agamus nonnihil. Octo genera rerum sub controversi-  
am revocâdarum ponit Philosophus, qvem numerum & minu-  
ere alii & augere non dubitant, qvi *Criminales* alias, alias *Ci-  
viles* caussas faciunt. Nos id præcipue observandum puta-  
mus, non debere sibi rapere partes Judicem ad qvas non per-  
tingit Ejusdem potestas. Ita de *Paribus Franciæ* cognoscere  
& judicare queunt non nisi *Pares Franciæ*; In regno *Neapolita-*  
*no* Comites & Barones in criminalibus non nisi per pares Cu-  
riæ judicantur. In nostro Imperio ad Imperatorem solum per-  
tinere jus cognoscendi de Imperiis Feudis regalibus, ut sunt  
Ducatus, Principatus, comitatus, similia, *ReinKingus* pro-  
bât; qvanquam sint qvi defendant oppositam sententiam. Il-  
lud certum est non posse propriæ caussâ Judicem aliquem esse,  
cum innatus cuivis sui amor sit, nec pessimam suam lubens  
fateatur caussam, licet sit. Qvæ Patri cum Filio & vicissim  
intercedunt judicia in censum eundem veniunt qvibusdam  
JCtorum; qvibusdam fecus videtur. Qvos qui conciliare  
vult, adire ipsos potest. Nos Colophonem ponimus hîc, red-  
dimusq;

*DEO OMNIUM JUDICI Ju-  
STISSIMO GLO-  
RIAM!*



DE REBUS  
AD FORUM  
SUUM SPE-  
CTANTI-  
BUS.

Bodin. de  
Rep. I. 6. c. 8.  
Hottom. in-  
Franco-Gall.  
c. 17.  
ReinKing. de  
reg. sec. &  
Eccl. I. 4, 19, 2.  
ibid.

*Ad doctissimum Dn. Respond.*

**GODOFREDUM ERICUM  
BERLICHIMUM,**

*Magnæ tūm pietatis, tūm diligentiae Studio-  
sum, meum per triennium fermè do-  
mesticum, cum publicè disputa-  
ret.*

 *On scendis cathedras, Ezlero Prä-  
side, nostras,  
Enodasqve pii judicis officium.  
Hic labor egregio pariet sua gaudia patri,  
Et Godofrede, tibi commoda mille  
feret.*

*Michael VVendelerus P.P.  
S p. t. Academie  
Rector.*

  
**G**entis BERLICHIÆ decus novellum,  
Virtutem æmule Nominis Paterni;  
Cui qvicqvid grave, qvicqvid est politum.  
Prima cura sedet; Tuæ juventæ  
Si qvando generosa prodis orsa,  
Ostentas juvenis virile robur.

Acris

845

Acris ingenii, favente seculo.  
Seu rostra eloqvio premas Latino,  
Orator bonus ac simul disertus;  
Seu scandas Sophiæ sacram cathedram,  
Victor hinc qvoq; lauream reportas.  
Qvam, me judice, non minus meretur.  
Qui de *Judiciis* agit peritè,  
Qvam qvi Judicis administrat artem..

*Ita Dn. Respondenti in Patrias Gentilesq;  
Virtutes strenue assurgent; ex an-  
tiqua formula gratulatur*

GOTTFRIED SCHNEIDER  
J. U. D.

BERLICHIO SUO.  
**T**E fulminare nuper ore facundo  
Audivim⁹ per rostra nostra, BERLICHI;  
Nunc agere Judicem & docere, prudentem  
Qvæ *JUDICEM* deceant, videmus, audimus.  
Benè Te! politioris artis assertor.  
Solersq; vindex, Patriæ Decus magnum!  
Increſce ſic in publici boni fructum.

Et

846  
Et disce profutura, dum tandem,  
JUDEX Viros inter se debis illustres.

gratul. properante calamo

P R A E S E S.

JUDICIS exqviris docto certamine partes,  
*BERLICHI*, magni spes animosa Patris.  
Sic laudanda premis patriæ vestigia Gentis;  
Sic prodis partas cognitionis opes.  
Ominor ex studiis: aditum sic sternis ad  
Aulam,,  
Aut ad juridici munia summa Fori.  
*BERLICHI*, egregios, opto, felicitet ausus,  
Detq; feras studiis omnia puncta,,  
DEUS!

Ita Politissimo & Doctissimo Dn. Re-  
spondenti, Amico & contuber-  
nali suavissimo gratu-  
latur


M. Daniel Pfüßner /  
Uratislaviæ-Silesius.

WITTENBERG, Diss., ERGEOB.,  
1. 1612/1667



nicht verloren

VON



W  
E  
161



944

831

18

C E  
COREA  
E  
EZLERO  
,  
*it publicè*  
BERLICHIIUS,

M.D.C.L.  
ditorio Phi-

FINCELII.